

DESCRIPTIONIS  
 INDIAE OCCIDENTALIS,  
 LIBER DECIMUS OCTAVUS.  
 NOVA ANDALUZIA.

INTRODUCTIO.

10



*Eduximus jam descriptionem Americae Meridionalis ad illam partem Continentis quae Orientali sua parte fines jungit cum maximo flumine Orenoque quod superiori libro descripsimus, & cum freto illo cui Insula Trinitatis objacet, atque frequentibus illis insulis, quae quamplurimis ostiis magni illius fluminis dissecantur; quaeque longo latoque terrarum tractu prominet versus Occidentale insulae Trinitatis cornu, à quo angusto illo freto dirimitur, quod supra Boca del Drago, id est, os Draconis appellari diximus. Porro Continentis haec portio olim ab Hispanis dicebatur Nova Andaluza, quod nomen commune est plurimum provinciarum, quae ab hisce limitibus ad Occidentem pertendunt usque ad praefecturam Rio de la Hacha; quarum quidem praecipua & maxime Orientalis appellatur Cumana, cui famosae aliquot insulae praetenduntur; praesertim Cubagua & Margarita; quae olim celeberrimae fuerunt ob opulentam capturam concharum Margaritiferarum: E quarum regione prominet terrae cornu quod vulgo dicitur Punta de Araya nobilissimis salinis notissimum: Occidentior autem illius pars est praefectura Venezuela: licet autem haec*

20

30 *Continentis pars plures alias provincias complectatur, tamen in duas potissimum partes descriptionem illius dividemus, Cumanam sive Novam Andaluziam proprie dictam & Venezuelam. Quanquam autem haec Continentis pars inter primas ab Hispanis fuerit detecta & crebrius adita, tamen omnium negligentissime illam ab ipsorum scriptoribus invenimus descriptam: conabor tamen, quantum poterò, aliquid lucis ipsi è nostrorum & aliorum observationibus affundere.*

INSULA MARGARITA.

40

CAP. I.

*Descriptio nobilissimae Insulae Margaritae.*

50



*NT EQUAM descriptionem Continentis hujus Americae Meridionalis prosequamur, necessarium erit Insulas aliquot perlustrare, quae hinc illi objacent, ob varias circumstantias, quae in Continentis delineatione ad has referuntur. Inter Insulas autem haec principem locum meretur nobilissima Insularum MARGARITA. Quam Christophorus Columbus primus invenit anno MDCCCXCVIII ni-  
 mirum tertia sua ad partes haec Americae navigatione: nam paulo magis versus Austrum, ab insulis primum ab illo inventis, proventus incidit in Insulam, cui nomen indidit la Trinidad, quod hodieque obtinet, ut supra diximus, & penetravit in fretum illud quod inter hanc insulam & continentem veluti concluditur, quod ille tum appellavit Golfo de la Vallena; vidit*

Her. d. r.  
 l. 3. c. 10.

quoque eminus continentem *Paria*, uti hodie dicitur, sed insulam esse credens nominavit Insulam *Sanctam*, & postea *de Gracia*: Inde cum summo discrimine per *os Draconis* eluctatus, adiit varios portus Continentis, insulam opinatus, quam vocavit *Pariam*. Adnavigavit deinceps varias insulas, quarum uni imposuit nomen *Assumcion*, alteri *la Concepcion*; & tribus minoribus *los Testigos*; post illas alii insulæ *el Romero*; aliis itidem *las Guardas*; atque ita tandem pervenit ad *Margaritam*. Pauca autem nomina quæ ille tum imposuit hodie durant, uti in progressu apparebit; nunc Insulam hanc describemus.

Insula *Margarita* (inquit *Herrera*) patet in longitudinem quidem circiter quindecim leucas, in latitudinem autem sex; grata viriditate peramæna aspectu, & quondam indigenis frequentissima. Distat sex septemvis leucis ab Americæ Meridionalis continente, angusto freto interluente, in quo duæ insulæ jacent *Cubagua* & *Coche*, brevi intervallo à se invicem disiunctæ, de quibus mox dicetur. Abest autem ab Insula Trinitatis (secundum *Herrera* in descriptione Indiarum) viginti leucis versus occasum; secundum nostrorum vero observationes; octo aut novem miliaribus supra triginta: ab Hispaniola denique secundum eundem *Herrera* leucis centum & septuaginta.

Distat autem ab Æquatore secundum accuratissimas observationes, versus septentriones gradibus undecim; quod de parte Insulæ pene media intelligendum.

In longitudine autem illius discrepant nonnihil scriptores; sunt qui sedecim illi leucas tribuant. Oviedus universum illius ambitum definit quinque & triginta leucis.

Potabilium quidem aquarum pene est inops, quas è continenti & præsertim è provincia *Cumana* petere consueverunt; fertilis tamen & arborum lucis peramæna, pascuis quoque dives, & *Mayzi* uberrimo proventu, aliorumque fructuum copia commendatur.

Duo omnino Hispanorum municipia ab *Herrera* produntur, unum sub Arce, quam Oceanus alluit, Gubernatoris hujus insulæ Domicilium: Alterum duabus leucis à mari sejunctum quod Hispani vocant *El valle de Santa Luzia*,

Testi-  
gos.

Ad ortum ipsi objacent insulæ aliquot vel potius scopuli, quos vulgo vocant *los Testigos*. Invenio à nostratibus observatum, numero esse octo, edito solo; & distare ab Æquatore versus Arctum undecim gradibus & triginta quinque scrupulis, & ab Insula *Granada* versus Africum circiter septemdecim miliaribus.

Porro Nostrates qui hanc Insulam lustrarunt longe aliter de illa judicant: nam utrumque illius angulum, tam ad ortum, quam ad occasum, in juga erigi testantur, medium autem Insulæ veluti subsidere in arentia & siticulosa arva, solo nitrosiore atque adeo infæcundo; atque maligne admodum annonam & alia necessaria incolis suis subministrare: Piscatio tamen in ambitu satis commoda quæ magnam victus partem suggerit: *Mayzio* communiter utuntur, è quo placentas quasdam coquunt.

Locupletissima unionum piscatura hic multis annis floruit, itaque ad Orientalem Insulæ angulum quondam Arx fuit exstructa, quam vulgo vocant *Monpater*, non magni hodie momenti, ut nostri testantur, sub qua Hispani naves suas in anchoris sistunt. Præcipuum municipium in mediterraneis situm est, vergens ab Arce versus Occidentem; à quo haud longo intervallo abest pagus *Makanao*.

Peculiarem habet Gubernatorem, præcipuæ quæm floreret Insula Dignationis; pertinebant enim tunc ad illam plurimæ celoces, quas in unionum captura usurpabant; ad quam Nigritarum opera utebantur; quos ex Africa continenti juxta Promontorium viride, è *Guinea* atque *Angola* advectos magno precio à mangonibus redimebant, & urinandi artem edocebant; detrectantes autem aut tardiores immanibus suppliciis compellebant: opus quippe permolestum & magni discriminis, ostrea, quibus uniones continentur, à latentibus sub æquore saxis, & in quinque, sex, nonnumquam & septem octove orgyarum altitudinem demersis, avellere magno conatu & dudum sub fluctibus hæere; ubi miseri nonnumquam à Tuberonibus graviter lædebantur & non raro membris mutilati exspirabant: emergentibus autem & præ angustia respirationis pene deficientibus aut Tabacci aut vini haustum præbebant. Unionum captarum quinta pars Hispaniarum Regi cedebat. Ab aliquot jam annis hæc unionum captura multum est imminuta, si non penitus defecit: causa incerta est, sive ostrea aliò commigrarunt, sive quod magis verisimile est, Hispanorum insatiabilis avaritia

avaritia feminium ostrearum immaturè prævortit, atque propagationem impedit; atque ita jam obscurior hujus Insulæ fama est.

Indigenæ quia sponte Hispanos admiserant, & tantum unionum, quas ipsi nihili faciebant, thesaurum exposuerant, libertatem ab Hispaniarum Rege adepti, multi hodieque supersunt, & Hispanis supramodum obnoxii, & dicto audientes habentur.

*Baldwinus Henricedes* Edamensis Exconsul, cum Classe Societatis Indiæ Occidentalis hic appellens anno 1610 cxxvi Arcem quam diximus, cepit, & muros illius disiecit, deductis quatuor æneis & septem ferreis machinis.

## C A P. II.

*Insule Cubagua & Coche descriptæ.*

**D**IXIMUS supra, inter Insulam *Margaritam* & Americæ Meridionalis Continentem duas minores Insulas jacere *Cubaguam* & *Coche*; quarum superiori seculo magna fuit dignitas, quum unionum captura floreret, nunc illa deficiente, obscura admodum fama; ita ut sane illas præterire potuerim, nisi & præcedentium operæpretium esset meminisse.

*Cubagua*, secundum *Oviedum*, cujus tempore imprimis florebat, distat ab Insula Hispaniola circiter centum & sexaginta leucis; ab angustiis illis quas vocant *Boca del Drago* sive promontorio Salinarum illis adjacente pene quinquaginta leucis versus occasum, à *Margarita* circiter leucam unam, complectitur in ambitu tres leucas. Solo est admodum effæto, & fere nitroso aut salso; fontium & aquarum potabilium plane inops; rarisque arboribus vestita præsertim *Guayacan*: denso tamen vepreto, quod pene inviam facit: Nam ut obiter hic moneam, tam in insulis hisce quam in Continente, locis incultis & alibi passim nascuntur vepres, sive cardui, longissimis & acutissimis spinis armati; quarum *Clar. Car. Clusius* meminit & Iconem exhibet in exoticis. Ad-  
 juncta (inquit) erat spina, cui certe similem videre non memini: etenim tametsi non integra quinque unciarum longitudinem superabat, lævis, politissima, & præ nigrore splendens, adeo ut mihi primo aspectu imponeret, & dentiscalpium ex testudinis  
 marinæ testa confectum esse existimarem: paulo tamen angustior erat. Eam autem ex Cardui alicujus capite detractam fuisse verisimile est: nam altera brevior & contracta (valde enim fragiles sunt) addita erat, quæ infima parte vestigium adhuc retinebat, quo cardui capiti, aut alteri plantæ, cui annata fuerat, videbatur adhæsisse. Hæc ille. Vidimus plures ejuscemodi spinas, & variæ longitudinis, non tamen majoris, quam quæ hic à Clusio proditur; plantæ descriptionem accuratam nondum potui adipisci, sed toto illius corpori annasci mihi satis constat: parte autem qua plantæ ad hæret vestita est lanugine quadam fusca, cætera splendens & nigerrima.

Cæterum præterea nihil pene herbidi fortita tellus, unde neque animalia hic reperiuntur præter paucos cuniculos: raræ quoque aves præter marinas aut littorales.  
 Barbari qui hanc incolebant, quum Hispani hic primum appellerent, victitabant potissimum piscibus & imprimis ostreis *Margaritifervis* illis, & aquam petebant è *Cumana*, quæ septem leucis hinc abest: pingebant autem cutem variis coloribus, ad aliorum barbarorum normam. Latus illius Australe distat ab *Araya* quatuor aut quinque leucis secundum *Oviedum*: portum autem vel potius stationem satis commodam habet ad septentrionale sui latus. Testatur *Oviedus* ad cornu illius Orientale scaturire liquorem quendam aromaticum, resinofum & alicujus in Medicina usus, qui undis superfluitat.

Fuit superiori seculo juxta hanc insulam unionum captura imprimis opulenta; adeo, ut memoriæ traditum invenerim, non paucis annis, quintam partem, quæ Regi Hispaniarum debetur, valuisse quindecim millia ducatorum; erant autem tum uniones, præ nimia copia, fere triplo viliores quam sunt hodie; ita ut monstro simile videatur tam parvo ambitu tantum thesaurum singulis annis ex alto erui potuisse: & non mirum esse ostrearum propaginem penitus exhaustam.

Hac æquoris opulentiæ & insulæ opportunitate allecti Hispani deduxerant superiori seculo huc coloniam, condiderantque oppidulum *Novum Cadiç*. Anno autem 1610 cxxxi quum barbari Continentis monasterium fratrum minorum in *Cumana* fun-

ditus evertissent, Hispani licet numero haud in fra trecentos, sibi nimium metuentes, insula derelicta profugerunt in Hispaniolam: Verum Conventus Juridicus *S. Domini*, quantocius misit *Jacobum Castellonem* cum quinque onerariis, qui oppidum restauravit & lapideis ædibus plurimum auxit atque ornavit: floruit deinceps pluribus annis & quandiu unionum captura vigeat, verum illa deficiente, non modo & ipsum defecit, sed plane fuit derelictum, ita ut nullum hodie illius vestigium videatur; aut ulla insulæ ratio habeatur.

*Coche* altera insula, sed minor; distat à *Cubagua*, circiter quatuor milliariis; versus ortum & Continentem; ambiens pene tria: humili solo & æquori pene æquali: juxta hanc quoque imprimis nobilis & dives unionum captura pluribus annis viguit, inde ab anno 1510, quo primum fuit inventa. Sunt qui memoriæ tradiderunt, mille quingentas marcas unionum hic uno mense fuisse captas, variæ molis & formæ: Hodie autem nulla hujus insulæ ratio habetur, neque dudum ullæ uniones hic reperiuntur, non magis, quam circa *Cubaguan* aut *Margaritam*.

Observandum autem superiori seculo non tantum juxta hæc insulas, sed etiam secundum universam hanc oram, inde à Fretò *Pariæ* usque ad Promontorium quod vocant *de la Vela* & ultra, unionum copiam fuisse inventam, è qua Hispani ingentes divitias hauserint, unde oram hanc, quæ fere ad quadringenta milliaria se extendit, solent appellare *Costa de las Perlas*.

20

## A R A Y A.

## C A P. III.

*Descriptio Promontorii quod vocant Araya, & famosarum salinarum quæ illi adjacent.*

**R**EVERTOR nunc ad Continentem & quidem illam partem, quæ exordium suum sumit à Promontorio quod vocant *de Salinas*, vel etiam *Pariæ*, è regione extremi Anguli Insulæ *de Trinidad* versus occasum, & ab insula angusto fretò, vel faucibus *Draconis* dividitur; pertinetque ad alterum promontorium quod vulgo dicitur *Punta de Araya*, quod pene celebres illæ *Salinae* sitæ sunt: Intervallum ferunt esse circiter septuaginta leucarum: verum adeo nihil plane singulare fortitur, ut vix ulla alia Americæ Meridionalis pars hodieque obscurior sit: nam præter pauca nomina promontiorum aut sinuum, quæ obiter in Tabulis Hydrographicis designantur; uti promontorii *de tres Puntas*, ut vocant, quod pene medio hujus intervalli spatio in altum egreditur; & similium; vix quicquam animadversione dignum à quoquam gentium observatum inveni.

Promontorium autem de *Araya*, quod famosissimum est in hac parte, prominet acuto pene angulo in altum, ex adverso occidentalis cornu Insulæ *Margaritæ*; atque concludit ab oriente fretum, quod hic ad plurimas leucas penetrat intra Continentem & appellatur vulgo ab Hispanis *Golfo de Cariaco*: quod ibi quidem latissimum est, sed ubi paululum procefferis angustatur, pene è regione viæ quæ ducit ad oppidulum *Cumanam*. Solum hujus promontorii uti & Continentis ad aliquot leucas humile est & fruticeto atque vepribus illis obsitum de quibus ante diximus. Pone ipsum Promontorium jacet *Salina* haud ita magna neque copiosa; & quod importunum navigantibus, longius à littore remota, unde Sal haud facile ex illa peti possit.

Verum paulo interius, flectit se continens cubito quodam aperitque patentissimum sinum ad quem jacet longe maxima & copiosissima *Salina*, qualis hæctenus nusquam fuit reperta; neque supra trecentos passus distans ab ora maris; in qua nullis non anni mensibus Sal optimus & durissimus reperitur; interdum sub muria latens, interdum & extans, pro variis anni tempestatibus: nam pluviis mensibus, neque tantum salis hic reperitur, neque tam facile potest deduci, quam æstivis.

Variant judicia de origine hujus Salis; sunt enim qui opinentur, fluctus marinos à validis tempestatibus in litrus propulsos in stagnum recipi & cum exitus non pateat à Sole in Salem coagulari, ut fieri solet in Salinis quas industria hominum in Hispania atque Gallia invenit: alii negant fluctus ingredi posse ob orarum convexitatem, sed undas

undas illas salvas è scaruriginibus promanare aut per occultos terræ meatus ex æquore exundare. Eorum autem iudicium maxime probaverim qui è fontibus promanare arbitrantur; nisi forte & pluvias aquas à salugine telluris, quam hic passim nitrosam esse satis constat, in muriam & ab æstu Solis qui hic admodum vehemens est, in salem ex coqui credamus. Atq; id satis patet exemplis multarum salinarum, quæ in Mediterraneo & quam longissime ab omni mari, tam in Asia quam Africa observantur, ad quas aquas maritimas per meatus ullos penetrare nullo modo verisimile est. Solent autem ii qui salem ex hac Salina petunt, lembis & cymbulis, quibus alvei plani sunt, eam ingredi, & salem ferreis instrumentis excidere, atque in cymbas acceptum ad oram perducere, magno labore & apparatu; dein trufatilibus vehiculis ad ipsum mare promovere, & denique majoribus cymbis ad onerarias vectare.

Salina hæc in plano solo sita est, clauditur tamen à variis partibus, præsertim ab Austro, editis montibus: totaque regio effæta est, siticulosa, neque ullis amnis aut fontibus rigta, ita ut incolis aqua, quam potent, aliunde petenda sit, non minus quam annona: utrumque autem solent petere ex adversa parte Continentis; & aquam quidem è fluviolo satis limpidò, qui circiter tribus milliaribus inde distat intra fretum illud Mediterraneum, & vulgo ab Hispanis vocatur *Bordones*: commeatum autem à *Cumana* municipio. Alit nihilominus vicina regio plurimas feras, cervos, capreas, lepores, cuniculosque præter plurima animalia nostro orbi ignota; quædam etiam noxia animantia & hominibus infesta, tigres atque serpentes: mare quoque pluribus piscibus fætum ita ut perfacile etiam retibus in littus attrahi possint. Cæterum tellus quæ Salinas ambit ad ipsum pene æquor, scætet vepribus ita aculeatis, ut iter per difficile sit; nisi ante magno labore trames excindatur.

Nostrates consueverant jam à multis annis, nemine vetante aut impediante, hic appellere & salem naues suas onerare: verum anno c1010 cy mense Novembri supervenit inopinantibus ex Hispania Classis octodecim navium, multo milite & belli apparatu instructarum; quæ nostros imparatos facile oppressit & naves eorum cepit atque abduxit: alii enim in ipsa Salina cymbulis salem conquirebant, alii vehiculis protrudebant; aut majoribus cymbis ductabant ad naves: nihil in navibus paratum ad resistendum, quia nihil hostile adhuc metuere consueverant: Sæviturum dein in miseros ab Hispanis, pro illius gentis consuetudine & affectu in Belgas: quidam suspensi; plures servituti addicti & ad remigium in triremibus in oppido *Cartagena* damnati; quorum pauci admodum post inducias cum Hispaniarum Rege sancitas, post longas miseras domum incolumes redierunt.

Repetita deinceps induciarum tempore à pluribus navigatio, sed cautius, ut aliorum calamitate jam edoctis; præsertim à West-Frisiis nostris. Donec Rex Hispaniarum aditum ad Salinam, Arce valida ibidem constructa, impediret.

Anno enim c1011, quum jam Societas Indiæ Occidentalis ab Illustriss. D. D. Ordinibus Generalibus confœderati Belgii stabiliretur, & non levis controversia orta esset inter provinciales utriusque Hollandiæ de Salinis hisce, quas Boreales limitibus Societatis includi volebant, Directores vero Societatis omnino includendos pertendebant: Hispaniarum Rex, qui harum molitionum minime ignarus esse poterat, usum harum Salinarum nostris præripere in animum induxit; quod quum facere aliter non posset, Arcem hic validam molitus est & multis machinis instruxit atque idoneo militum præsidio.

Arx autem hæc quemadmodum à multis qui viderunt accepimus, ad hunc modum se habet; Exstructa est super petram modicè editam supra reliquum solum, circiter centum, neque multo pluribus passibus à mari: forma quadrata, quatuor propugnaculis distincta: latus illius Orientale sive quod Continentem respicit, valido muro è vivo saxo eductum est, & pene quadraginta palmos altum; reliqua dimidiam habent altitudinem: latus denique quod stationem aspicit, omnium invalidissimum est & humillimum: In Machinarum numero variant, qui minimum, tribuunt triginta & tres, quarum pene media pars ex ære conflata dicitur. Prædiariorum quoque numerus incertus, numquam tamen uti volunt minor ducentis.

Imminet huic arci mons, tantum convalle ab ipsa divisus: omnisque annona bis singulis septimanis à *Cumana* petitur; præter ea quæ Hispania mittit, oleum, vinum,

vestes & similia. Habent & speculam in vicino monte, qui præfidiarios mature monet, quando naves ex alto allabuntur.

Nomen Arci dederunt *S. Iago*: quæ sane tam opportuno loco collocata est ad Salinas custodiendum, & naves inimicas arcendum, ut opportunius non possit; nam minori bombardâ ferire possunt quosvis qui Salinam ingredi tentaverint, atque etiam naves in anchoris stantes valide quaterere & perforare.

## CUMANA vel COMENA.

### C A P. IV.

#### Cumanæ provinciæ descriptio, cæli solique qualitates, animalia, Indigenarum denique mores.

**A** *Rayam* excipit *Cumana* vel *Comena*, è regione promontorii *de Araya*, atque *Insulæ Margaritæ*: divisa à famosis illis Salinis & vicinis provinciis per fretum illud quod *Golfo de Carriaco* vel etiam *Comena* diximus appellari; penetrat autem intra Continentem, ut Hispanis placet, circiter quadraginta leucas; superioribus seculis in ambitu à frequentibus barbaris accolebatur: qui ut fere cæteri nudi agebant, præterquam mares qui pudenda sua cucurbitarum collo, aut conchis quibusdam, cannis, aut denique aureis thecis concludebant; vel vulgò tenia aut fascia gossypina inter scœmora reducta abscondere moliebantur. 20

Ad bellum autem progredientes, palliola humeris circumdabant, seque plurimis plumis decoris gratia ornabant: festis quoque diebus cutem illinebant tenaci quodam glutine, & plumas quasdam parvas variarum avicularum afflabant, volucres æmulantes: pilos quidem barbæ penitus evellebant; capitis vero supra aures in orbem attondebant: dentes quam nigerrimos habere imprimis formosum putabant, itaque folia cujusdam herbæ continuo pene in ore gestare & masticare soliti; cujus beneficio & hoc consequebantur, quod ut plurimum à dentium doloribus vacarent, & benevolentem halitum sibi conciliarent.

Juvenulæ prorsus nudæ incedunt, & inter formæ decora existimant crassas & obesas furas: quas arte quadam sibi conciliant; à teneris annis crura valide sub genibus constringendo: pudoris aut pudicitæ perexigua illis cura: verum postquam uni viro conjunctæ sunt, tum & velare obscœna & paulo castius agere incipiunt, metuentes maritos adulterii vindices. 30

Reguli plures atque adeo sumunt quot lubet, & id imprimis hospitale autumant, advenis suas concubinas ad tempus largiri. Fœminæ non abhorrent ab ullis exercitiis virilibus; facile enituntur: & fœtus suos educant diligenter; & quia formosum putant, longa facie & genis gracilibus esse, capita infantium leniter comprimunt inter duo pulvinariola. In cibos adhibent omnis generis animantia, ita ut ne ab immundissimis quoque dicantur abstinere; licet neque farre, neque laudatis carnibus atque piscibus destituantur; & non insipidum potum noverint conficere. Horum barbarorum adhuc in hac parte Continentis magna est copia; qui hætenus libertatem suam fortiter adversus Hispanos defenderunt, & non raro ipsis damnum inferunt. 40

Laborant hi barbari atque caligant plerumq; oculis; quod quidam opinantur illis accidere ab aquæ potu, quæ è maximo hujus provinciæ flumine hauritur, quod & *Cumana* vulgo appellatur; sed magis assentior iis qui illud improbo nutrimento quo utuntur attribuunt. Fœminarum fere munus est tellurem colere, fodere, Mayzii & Axi sementem facere, cucurbitas & alios fructus ferere & annonam procurare. Olim & hostium suorum carnibus, quos in bello aut astu ceperant, avidè vescabantur: neque à mancipiorum suorum, quos redemerant, carnibus abstinebant; hos etiam si graciliores essent, saginabant instar porcorum. 50

Inter arbores quæ sponte hic passim nascuntur memorantur à scriptoribus Hispanis; quædam quæ lacteum quendam liquorem fundunt, qui durus admodum evadit instar gummi & suavem odorem de se fundit; aliæ quæ liquorem quendam edunt instar lactis coagulati, qui in cibis ab ipsis usurpatur sine noxa.

Aliæ

Aliæ itidem quæ fructus ferunt instar mororum, è quorum succu syrupum efficiunt imprimis utilem adversus raucedinem: harum materies adeo solida est atque dura, ut instar silicis ignem ejiciat collisa.

Arbor præterea materie beneolente ad modum cedri, cujus species videtur, quæ utiliter ad varia fabrilia opera adhibetur, sed si panem aut similem annonam eis concludas, contrahunt ingratum amarorem: utilissima denique censetur ad naves fabricandas, minus enim sentit cariem.

Est & quæ tenacissimum viscum fundit, quo in aucupiiis utuntur, & cutem suam inungunt, quum plumulas afflare desiderant.

10 Cassia denique solutiva hic passim sponte nascitur, sed dubito silvestrem illam esse speciem cujus supra meminimus, licet & genuinam habeant.

Tellus quoque luxuriat variis & beneolentibus floribus, præsertim rosis, licet quidam flores tam fragranti sint odore ut cerebrum tentent, atque offendant.

Præter leones, tigres, apros aliaque ferocia animalia; etiam quædam animantia hic reperiuntur, aliis provinciis insueta, aut saltem non ita familiaria; inter quæ scriptores memorant unam speciem, quam barbari suo idiomate vocant *Capam*; quod animal mole pene superat asinum, villosum & atrum, atque admodum ferox; licet hominum conspectum metuat, atque fugiat; adversus canes etiam plures fortissimum, quos & intrepide manet & non raro enecat atque devorat.

20 Itemque alterum animal, quod ipsis appellatur *Aranata*; mole quidem venatici canis, proluxa autem barba instar hirci; & horrendum quoddam murmur ciens: minime tamen carnivorum, sed fructibus arborum victitans, quas facile ascendit: hæc animalia fere gregatim dicuntur incedere.

Capiuntur hic quoque quidam feles silvestres, simiis haud absimiles, qui catulos suos supra modum diligunt, eosque in ulnis circumgestant, & cum iis quandiu teneriores sunt, arbores scandunt: catuli autem longe pulcherrimi sunt, & admodum ingeniosi, ita ut ab Hispanis magni fiant.

30 Reperitur hic & aliud animal valde ferox & hominibus infestum, molossi pene mole, quod barbari supra modum metuunt, ideoque noctu nunquam prodeunt (est enim animal noctu ambulatum & quod interdum rarissime videtur) sine ardenti tedita; narrant autem insignem hujus feræ astum, quo consuevit juxta tuguria ejulatum edere instar infantis, ut homines eliciat è tuguriis, atque inopinantes opprimat.

Volucrum omnis generis hic magna quoque est copia atque varietas, imprimis elegantissimorum Psittacorum & similibus. Vespertilionum ingentium maxima copia, qui inter lues hujus provinciæ merito numerantur: licet non desint & aliæ atque imprimis culices, *Mosquitos* vocant, corpore quidem exili sed tam acriter pungentes, ut noctu vix somnum capere liceat, nisi remedium aliquod opponas.

Apum quæ mellificant tres hic reperiuntur species.

40 Aranei atque phalangii longe grandiores quam in Europa & diversorum colorum, qui telas nent ita pertinaces ut vix dirumpi possint.

Mare quod alluit egregie piscosum est: amnes quoque pluribus piscibus fæti, ita ut hæc provincia comneatu omnis generis abundet.

In fluminibus denique reperitur magnus numerus crocodilorum, quos hic vulgo vocant *Caymanes*, & Hispani *Lagertos*; qui neque forma neque natura differunt ab iis quos Nilus alit; licet mole nonnihil differant.

## C A P. V.

*Eorum quæ superiori seculo ab Hispanis crudeliter in hac Continentis parte gesta fuerunt: & municipii Cumanæ descriptio.*

50 **L**ICET Hispani in omnibus pene Americæ provinciis in miseros barbaros sævierint, nusquam tamen tam astute atque crudeliter sunt grassati quam in hac. Narrat enim *Herrera*; monachos ordinis S. Dominici, anno MDLXIII obnixè ab Hispaniarum rege postulasse ut ipsis solis liceret indigenas hujus continentis ad Christiana Sacra pellicere & religionis principiis imbuere; quod quum facile à religioso imperatore impetrassent; duo tantum in hanc provinciam haud longe

longe à *Cumana* fuerunt expositi; & à barbaris perhumaniter accepti, ita ut magna spes esset illos non modo cicurari, sed ad fidem nostram pellici posse: verum haud dudum post supervenit Hispanorum navis, qui uti ferebant, uniones ab incolis precio compararent: hi apud monachos hosce doli ignaros tantum perfecerunt, ut Regulo loci persuaderent navem ingredi ad symposium: verum illi miserum cum uxore & septemdecim suorum, nequicquam monachorum & hospitem fidem obtestantem, anchoris sublatis avehunt in duram servitutem: cæteri barbari, qui monachis consciis hæc facta suspicabantur, in illos irruere, & mortem intentare; illi vero fidem suam obligare, regulum cum suis quamprimum reductum iri; cessatum ergo aliquandiu ab ipsorum cæde: donec sero se illusos sentientes, monachos hosce trucidarunt. 10

d. 2. l. 3.  
c. 7.

S. F. 6.

Nihilo tamen secius, rursus anno cIoIo xviii, hic plures monachi applicuerunt, ex ordine partim Dominici, partim Francisci; qui diversis locis cænobia bina condiderunt, uti tanto facilius barbarorum institutioni vacarent. Ceperant autem Dominicani monasterio suo locum in provincia *Chiribichorum* populorum, septem leucis ab Insula *Cubagua* versus Occidentem, & imposuerunt illi nomen *S. Fidei*. (Servat hodie nomen sinus qui distat circiter duabus leucis à municipio *Cumana* versus Occidentem; opportunus admodum navigantibus, qui hic interdum aquam & ligna solent petere, & tutissimo in anchoris consistere, atque adeo vicinos barbaros haud impropios experiri.

Anno autem cIoIo xx rursus appulerunt hic Hispani duce *Alonso de Ojeda*, quorum adventus barbaros haud modice perturbavit: verum illi, ut facilius fallerent, sublatis anchoris quatuor leucis inde promoverunt versus *Maracapanam*, Mayzii à barbaris Montana incolentibus, (qui vulgo vocantur *Tangares*), comparandi gratia se advenisse simulant. Quum tamen isti barbari, tantum Mayzii, quantum quinquaginta viri humeris ferre poterant, ad littus deportassent, & promissum pretium expectarent, in inopinantes irruerunt Hispani & triginta sex illorum corripuerunt, & non paucos graviter vulnerarunt. Regulus hujus provinciæ, qui jam Christianis Sacris initiatus, *Gil Gonzalez* dicebatur, ægerrime hæc ferens, & ut supra modum suspicacia & vindictæ avida sunt horum barbarorum ingenia, consciis aut saltem non ignaris monachis hæc perpetrata fuisse; consilium capit cum Regulo *Maraguey* in cujus ditio- 30  
ne cænobia erant condita, ut hic quidem monachos trucidaret, ipse vero in *Oiedam* irrueret: nec mora quum *Oieda* inconsultius cum paucis in terram descendisset, ipse cum sex suorum oppressus & cæsus fuit; & monachi paulo post trucidati & monasteria excisa & flammis concremata.

Quum autem hujus excidii fama ad aures Conventus Juridici, qui in oppido *S. Dominici* agebatur, pervenisset, crimen hoc exquisitis suppliciis, atque adeo univerforum barbarorum Cumanorum excidio vindicandum esse constituunt: missi itaque quantocius trecenti milites in tribus navibus, quæ fortè paratæ erant, præfecto *Gundisalvo de Ocampo*.

Dum hæc in Continente geruntur, commodum applicuit ad Insulam Hispanio- 40  
lam Licentiatus *Bartholomeus de las Casas*; qui ex formula contractus cum Hispaniarum Rege initi aliquot familias rusticorum & aliorum operarum mercede conductas, adduxerat ut coloniam in Continentem juxta monasteria religiosorum illorum deduceret. Audito autem hoc infortunio graviter indoluit, & modis omnibus fuit conatus expeditionem illam impedire, verum frustra.

*Gundisalvus* ergo de *Ocampo* cum duabus navibus applicans ad portum *Maracapanæ* & astu sibi grassandum ducens, ut barbaros facilius in insidias pertraheret, simulavit se ex ipsa Hispania, non autem ex insulis advenire, neque eorum quæ gesta erant gnarum esse; adhæc ne barbari suorum multitudine deterrerentur, maximam militum suorum partem occultavit: Barbari itaque nihil mali suspicantes, incautius in naves 50  
illius sunt ingressi, præter Regulum qui se in canoa sua continuit, milites autem Hispani sub hæc ex insidiis erumpentes, Regulum in canoa obruncant; & cæteros captos de antennis laqueis suspendunt: denique exscensione in terram facta pagum eorum diripiunt atque exscindunt: municipiumque Hispanorum moliuntur ad ripam fluvii circiter dimidia leuca à mari, nomine *Toleti* ipsi imposto.

Licentiatus interea *de las Casas* nihil non moliebatur, ut incepta sua ad finem perduceret,



ceret, & Societate inita cum Admirantio Columbo & aliis Regiis ministris in Insula Hispaniola, applicuit ad Continentem, reperitque Ocampium in novo Municipio Toletio; displicere novis colonis condiciones quas Licentiatus ferebat, itaque & ipsum reliquerunt, & municipium deseruerunt vix inchoatum. Ille tamen propositi tenax, cum paucis familiaribus, & operis aliquot mercede conductis, contulit se ad locum ubi monasterium Franciscanorum fuerat, haud longe ab ora maris, & secundum ripam fluvii *Cumana*, ibidemque castellum cepit moliri: verum Hispani qui *Cubaguam* insulam incolebant, ægre ferentes hoc facto excursiones suas in miseros barbaros, quibus assueverant, impediri; architectum, qui unus tantum Licentiato supererat, magnis promissis ad se traduxerunt; atque ita opus imperfectum remansit.

10 Licentiatus *de las Casas*, ut hisce impedimentis obviam iret, & *de Cubaganorum* injuriis apud Conventum Juridicum querelam institueret; transfretavit ad Hispaniolam, præfecto antè colonis suis *Francisco de Soto*: Hic summa imprudentia, & contra quam Licenciatus jusserat, binas naves (quæ ipsi relictæ erant, ut si quid periculi à barbaris ingrueret, suos in tutum posset subducere;) secus oram dimisit ad mercimonia cum indigenis exercenda: Quare barbari, animo ob tantas clades quas jam ante & adhuc nuper ab advenis passi erant, adhuc nimium exasperato; occasione utendum rati, cocriuntur in colonos. *Soto* quidem vulnere accepto è quo postea discessit, cum novemdecim aliis in cymba profugit ad promotorium *de Araya*, reliqui occubuerunt, 20 & municipium à fundamentis fuit dirutum. Quæ quum Licenciatus in Hispaniola accepisset, animo æger, (quod omnia quæ hæctenus tentaverat ad barbaros conservandos, & à maleficio coercendos, traducendosque ad religionem Christianam, quod unice optaverat,) seculo renuntiavit & ingressus est Cænobium Dominicanorum, & postea factus est Episcopus *Chiapa*. Hic est *Bartholomæus* ille *de las Casas*, qui proluxe descripsit, & Imperatori Carolo atque Hispaniarum Regi indicavit, quæcunque ab Hispanis impie & crudeliter in omnibus pene Americæ utriusque provinciis, in indigenas fuerunt perpetrata; è cujus commentario Christianus orbis didicit, quæ excidia gentium integrarum, quam horrenda supplicia magnatum, Novus ille orbis viderit & ingemuerit, postquam Hispani in illum pedem fixerunt.

30 Porro quum hæc clades ad aures Admirantii *Didaci Columbi* & Conventus Juridici Insulæ Hispaniolæ accidisset, statim de vindicta cogitarunt, & anno 1522 miserunt *Jacobum de Castellon*; qui primum adiit insulam *Cubaguam*, atque ibidem reliquit colonos qui urbem *Cadix* restaurarent & denuo inhabitarent, paulo ante ab Hispanis barbarorum metu relictam: deinde applicuit ad *Cumanam*, ibidemque sedes fixit: dimisitque suos ad barbaros illius tractus capiendos, quorum quam plurimos, præsertim eos quos cædis monachorum & aliorum Hispanorum authores suspicabatur, variis & crudelibus suppliciis sustulit. Denique arcem struxit ad ostium fluvii *Cumana*, ut ita aquationem *Cubaguanis* securiorem redderet: à quo tempore Hispani hic domicilium retinuerunt. Municipium autem *Cumana* vel *Comema* situm est 40 intra Continentem, circiter duobus miliaribus à mari, intra densos arborum lucos, ita ut ab allabentibus ex alto, difficulter possit vidèri, præter præfecti ædes, quæ in edito colle sitæ sunt. Stationem habet ad mare peropportunam in sinu quodam, semilunaris formæ, ubi tuto anchoræ figi possunt haud longe à littore, in mari duodecim aut tredecim orgyas alto, & fundo nullis rupibus impedito.

## C A P. VI.

*Narratio eorum quæ ab Hieronymo de Ortal & Antonio Sedenno in hisce provinciis fuerunt gesta.*

50 **S**UPERIORI libro compendio edisseruimus, quæ ab *Hieronymo de Ortal* fuerunt gesta in magno flumine *Viapari*, donec se alio converteret, nimirum ad hanc partem Continentis, de qua nunc agimus, itaque expeditionis illius reliqua hic eodem compendio prosequemur.

*Hieronymus* itaque *de Ortal*, assumpsit sibi Legatum *Augustinum Delgadum*, eumque misit ad fluvium *Newerin*, qui in mare egreditur duobus miliaribus à *Maracapana*, imperans, ut ibidem arcem moliretur, quod & gnaviter perfecit. *Ortalius* interea se illi 6. adjunxit

adjunxit cum centum militibus, ut expeditionem suam promoveret: verum duæ se ibidem ipsi objecerunt difficultates; prima quidem à *Cubaguanis* qui querebantur ipsum falcem misisse in alienam atque adeo suam messem; altera & quidem maxima à militibus, qui à superiori expeditione omnium rerum inopes & fere nudi redierant, quorum inopiæ ipse nequaquam poterat succurrere, quia Imperator Hispaniarum Rex gravissimo edicto caverat, ne indigenæ barbari in servitum alio abducerentur aut venundarentur: ipseque omnibus mediis destitueretur: Verum ut suorum militum inopiæ aliquantum subveniret, permisit ipsis mangonium exercere de ejusmodi barbaris, quos ipsi Indigenæ pro mancipiis haberent: improbo consilio; nam milites hoc prætextu miserum in modum in barbaros sævierunt, & multa quoque li- 10  
bera captia manciparunt & mangonibus vendiderunt.

*Delgadus* autem quum è speculatoribus suis quos præmiserat, didicisset plurimos barbaros in interiori continenti degere, sine mora iter est ingressus cum quinquaginta militibus: offenditque primo densissimas silvas & impeditissimos tramites, & raros admodum indigenarum pagos: transitque *Guacharucum* & *Paripomotum* duas provincias à pluribus bellicosis & ferocibus barbaris habitatas: qui tamen cum vicinis suis discordes & continuo belligerantes, advenas hosce peramice exceperunt, iisque dederunt itinerum duces, qui illos introduxerunt in provinciam populo frequentem & annona omnis generis abundantem: hic primo acriter à barbaris fuerunt oppugnati, quos tamen nullo pene negotio in fugam conjecerunt; & iter suum promoverunt ad fluvium *Vnaren*, illumque non sine certamine cum barbaris qui adversam ripam tenebant transierunt: incideruntque in pagum annona abundantem, & pace cum vicinis barbaris facta, vires suas recollegerunt. Opinantur autem Hispani *Ortaliu* recte fuisse facturum, si hic municipium aliquot condidisset, sed properabat ad fluvium *Metam*; quare *Delgadus* postquam aliquot munuscula à Regulis illius provinciæ accepisset, ad ducem suum revertitur.

Vnare fl.

Meta.

Diximus quoque superiori libro *Antonium Sedennu* controversiam movisse *Ortaliu* de hisce provinciis; & primo quidem inter eos convenisse ut conjunctis viribus hanc expeditionem urgerent, sed *Ortaliu* postea à conventis resiliisse: *Sedennus* itaque opulentarum harum provinciarum, uti credebantur, ab *Ortaliu* inventa- 30  
rum fama allectus, *S. Ioannis de portu Rico* incolas permovit ut ipsi auxiliarentur; & applicuit ad hanc partem Continentis, duabus leucis à *Maracapana*, & intra limites præfecturæ *Venezuelæ*, licet gravissime à Conventu Juridico Hispaniolæ vetitus in fines alienæ præfecturæ ingredi.

Cuani-  
ba.

Hac *Sedenni* atque *Ortaliu* discordia factum fuit, ut alter alteri omnibus modis incommodaret, & studeret prævortere, & milites nunc hos nunc illos armis & com-  
meatu exuerent & pene nudos destituerent; neuterque quicquam operæ precii gereret. *Ortalius* nihilominus expeditionem suam promovens, penetravit in provinciam cujusdam Reguli, qui superioribus annis à monachis illis baptizatus *Didaci* nomen fuerat sortitus; & anxie requirebat provinciam *Metam*, iter agens per regio- 40  
nem bene cultam & populo frequentem, eamque misere devastans ne *Sedennus* ipsum consequi posset: refecit autem milites suos in pago *Guaniba* cujus incolæ quidem profugerant, sed reliquerant magnam *Mayzii* copiam & annonæ cæteræ. *Delgadus* hic à barbaris vulnus in oculo accepit, è quo paulo post exspiravit: & *Ortalius* à tumultuantibus militibus derelictus, qui maximam partem se *Nicolao Federmannu* adjunxerunt, qui à Coro venerat ut provincias hæc perlustraret: ita ut cum decem solummodo militibus ad arcem suam repedaret, cui jam ante nomen *S. Michaelis de Neveri* imposuerat; verum monitus rivalem suum *Sedennu* cum magnis copiis juxta oras hæc incedere, illum minime manere fuit ausus, sed profugit ad Insulam *Cubaguam*, atque inde ad metropolin *S. Dominici* in 50  
Insula Hispaniola.

## C A P. VII.

*Expeditionis Antonii Sedenni in hanc partem Continentis reliqua.*

**A**ntonius Sedennus, quum hoc pacto æmulum suum Ortalium depulisset, & Licentiatum Frias, quem Conventus Juridicus Hispaniolæ miserat ut ipsum à finibus alienæ præfecturæ juberet abstinere; jam liber expeditionem institutam profequitur cum quingentis militibus, partim equitibus, partim peditibus: incessitque primo secundum oram maris usque ad *Patigutarum*, atque inde ad mediterranea, nullo ordine aut disciplina militari; ita ut indigenæ barbari, insolentiam militum non ultra tolerantes, variis locis nonnullos ex insidiis opprimerent atque cæderent; & vicissim longe majore numero ab ipsis trucidarentur, & caperentur, atque *Cubaguam* mitterentur in duram servitutem, sueto tum Hispanis mangonio.

Her. d. 5  
l. 10. c. 16.

Laniena autem ista barbarorum factum est, ut multa cadavera passim insepulta in agris jacerent, quæ tigres depascentes, ita efferabantur, ut ne à viventibus quidem abstinerent, nullo præsentiori tum adversus illas feras remedio, quam in tenebris cum ardentibus tedis aut titionibus è tuguriis progredi.

Anno cIo xxxvi i promovit Sedennus versus provinciam *Anapujam* atque inde in alteram quæ *Orocomay* dicebatur, ubi peramicè à barbaris fuit acceptus. Transivit inde in provinciam *Gotoguaneyan*, cujus indigenas in armis invenit, qui exiguum castellum è lignis constructum objecerant, in quo plurimi erant barbari, ut Hispanos aditu provinciæ suæ arcerent: Hispani impetum facientes in hoc castellum, bis à barbaris fuerunt depulsi & plures vulnerati venenatis sagittis, ita ut candenti ferro, cum summo discrimine venenum exhaurire cogerentur: barbari tamen pluribus suorum amissis, quum metuerent ne tandem ab Hispanis opprimerentur, locum deseruerunt, & noctu cum uxoribus atque infantibus se receperunt ad vicinos montes, qui circiter leucam ab illo aberant, & densissimo nemore erant obsiti.

Anapuja.

Oroco.  
may.  
Goto-  
guamey.

Postquam Hispani aliquandiu in hoc loco quievissent & corpora refecissent; promoverunt inde usque ad provinciam, quæ duobus gradibus distabat ab Æquatore versus Arctum, per incultos campos & plures amnes, in quibus nihil ad victum suppetebat præter ferinam, ita ut milites incommodorum pertæsi tumultuari inciperent; verum Sedennus tumultum ea vice compescuit, supplicio de præcipuis tumultus authoribus sumto.

Venerunt tandem ad provinciam *Catapararo*, inter montes sitam; in qua magnum Mayzii copiam invenerunt, & nonnulla indicia metallorum, imprimis auri; ita ut hic hiberna figerent: Sedenno, interea vita functo, surrogatus fuit in illius locum *Ioannes Fernandez*; itinerum autem ratione inita, jam centum & quinquaginta leucas ab ora in Mediterranea se profectos compererunt.

Catapa-  
raro.

Hybernis absolutis paulum processerunt, per paludosa loca & aliquot amnes & offenderunt alium pagum annona abundantem: hic quoque obiit *Ioannes Fernandez*: nihilo tamen secius processerunt per patentes & incultos campos, naucleris illos ductentibus ad pixidis maritimæ ductum; ventum denique in regionem valde humilem & riguam, quæ à paucis barbaris incolebatur, qui hybernis & pluviis mensibus se ad editiora loca recipiebant, quia tota regio illarum ab amnibus inundatur. Hispani itaque tot difficultatum pertæsi, nam ex paludosis locis ægre eluctati, incidebant in vastos & arenosos effætosque campos, & magnam annona patiebantur penuriam; ad hæc post ducum obitum inter se discordes, expeditione penitus omissa, inque varias turmas separati, diversis itineribus repedare instituerunt; atque ita post longos errores alii ad *Venezuelam*, alii ad *Maracapanam* atque inde *Cubaguam* redierunt. Hunc exitum sortita est expeditio *Antonii Sedenni*.

Ex hisce expeditionibus, in quibus nihil memorabile annotatum invenimus, quivis suspicari possit, in hisce provinciis nihil illustre, aut quod tantis molitionibus dignum sit, reperiri posse: verum qui animum Hispanorum in ejusmodi expeditionibus recte adverterit, nequaquam mirabitur hæc ipsis accidisse: nam sucti erant aurum atque argentum aut similia alicujus pretii, barbaris jam

parata eripere; neque anxie terræ abdita scrutari, sed loca ubi nihil divitiarum statim in oculos incurrebat, leviter præterire: quare non mirum est tot laboribus non plura ab ipsis fuisse inventa, quæ mortales ad penitiores regionum scrutationem solent allicere.

## VENEZVELA.

## CAP. VIII.

*Descriptio Generalis hujus provincie Venezuelæ & partitio  
in varias partes.*

10

**D**UÆ omnino redduntur rationes ab Hispanis scriptoribus, cur hæc præfectura & provincia dicta fuerit *Venezuela*, id est, parvæ Venetiæ: prima quidem, quia *Alfonso de Oreda* qui inter primos ad illam appulit anno 1499 hic invenit municipium indigenarum barbarorum, cujus ædes omnes, in ipsis undis arboribus & tignis erant inædificatæ, quemadmodum Venetiæ ex ipsis fluctibus educatæ cernuntur, subliciiis autem pontibus è Continente commeabant ad ædes, pluresque similes pontes ab unis ædibus ad alteras erant perducti.

cap. 8.

Altera autem (ut tradit *Herrera* in descriptione compendiosa Indiarum) quod Germani quum primum hanc præfecturam ab Imperatore Carolo V. accepissent anno à Christo nato 1528 destinaverant, secundum ostium magni lacus *Maracaybo*, super collem imminentem ostio, oppidum moliri nomine *Venetiola* fausto omine, licet numquam res effectum fuerit sortita.

20

d. 8. l. 2.  
c. 19.

Acceperant autem hanc provinciam nobilissimi *Vesperi*, cives Augustani, uti bene de Imperatore Germaniæ meriti, hisce limitibus, uti ex *Herrera* discimus, conclusam, ab ortu quidem *Maracapana*, de qua jam diximus, ab occasu autem promontorio quod vocant *de la Vela*, patentem in longitudinem secundum orarum ductum circiter leucas ducentas.

Repererunt autem Germani hi provinciam hanc plurimis barbaris frequentissimam, sed quia ipsis, uti patuit, propositum erat, potius rem familiarem augere & opimam prædam hinc deducere, quam colonias huc deducere, & rempublicam hic stabilire: ab ipsorum Legatis in miseros barbaros sævitum fuit, & maxima ipsorum pars sensim excisa: Hispanis quoque qui vicinam Continentem & insulas *Margaritam* & *Cubagnam* infederant, pro more suo in idem excidium acriter conspirantibus, unde factum est, ut populosissimæ provinciæ ad summam paucitatem redigerentur, & incolis indigenis fere destituerentur.

30

Hodie præfecturæ hujus limites ita describuntur; ab extremis finibus Novæ *Andaluziæ* sive *Serpæ* vel etiam *Guianæ*; ad primos fines præfecturæ quam vulgo vocant *Rio de la Hacha*; ita ut inter utramque illam præfecturam in longitudinem occupet centum & triginta leucas: in latitudinem vero ubi latissima est, octuaginta leucas ad Regnum novum Granatense.

40

Solum hujus præfecturæ admodum est fertile & frugum feracissimum, ita ut quotannis duas hic messes colligant. Ad hæc abundat pascuis, ita ut hic ingens numerus armentorum, nec non pecudum pascatur. Vnde meruit nomen granarii apud cæteras provincias, ingens enim copia farinæ triticeæ, plurimum panis biscocti; multi casei; suilla quoque; & ingens numerus pannorum gossypinorum hinc deducitur, ad vicinas & remotiores provincias. Ad hæc immensus numerus tergorum bovillorum, & magna vis *Sarzaparilla*, à portu *Guayra* & *Caracis*, infertur Europæ.

50

Abundat regio omnis generis feris, ita ut venatio hic imprimis sit opportuna: Amnis adhæc Unare valde piscosus est: ita ut barbari indigenæ, superiori seculo crebro inter se bella gesserint ob piscandi limites & opportunitatem.

Nec metallorum inops creditur solum in variis provinciis, præsertim auri, & quidem satis absoluti, & viginti duorum & semis caratiorum, ut loquuntur.

Complectitur hæc amplissima præfectura, plures provincias particulares & propriis

propriis nominibus notas, tam ad oram Oceani, quam in Mediterraneis; uti *Curianam*, *Cuicas*, *Caracas*, *Bariquicemeto*, *Tucuyo*, & similes, quarum tamen limites minime distinctos invenimus apud Authores Hispanos; itaque contenti illas hic nominasse; earum mentionem facturi sumus, in descriptione urbium quæ in illis hodie ab Hispanis habitantur.

Cæterum scribunt Hispani, in hisce provinciis hodieque numerari supra centum millia barbarorum, Hispanis vectigalium; quo numero non comprehenduntur qui aut non attigerunt decimum octavum ætatis annum, aut jam quinquagesimum excedunt; omnes enim hi, sententia Senatus Indici Hispaniarum, ab omni vectigali  
10 liberi fuerunt declarati; verum quia numerus eorum quotidie aut augetur aut minuitur, certa ratio iniri minime potest.

Habitantur in hac provincia ab Hispanis octo qua oppida qua municipia, quæ ordine describam, si ante non nihil dixero de variis expeditionibus, quæ tam à Germanicis præfectis, quam ab aliis, per has provincias olim fuerunt susceptæ, quæ haud parvam lucem hujus præfecturæ descriptioni poterunt adferre.

## C A P. IX.

Venezuelæ prima lustratio per Germanos, & quæ aliquot annis  
20 ab iisdem ibidem fuerunt gesta.

**L**ICET *Ioannes de Ampues*, auspiciis & mandato Conventus Juridici Insulæ Hispaniolæ, jam ab anno c1o 1o xxvii, provinciam hanc esset ingressus, exscensione in *Corianam* facta, eamque cæpisset lustrare, amicitia prius cum *Mananre* potentissimo harum regionum principe confirmata: Nihilo tamen secius, ut jam supra dixi, Imperator Carolus V, præfecturam & cæteras immunitates in ejusmodi concessionibus tribui solitas, amplissimo diplomate indulsit *Velferis* Augustanis, vel si proprie loqui volumus, provincias hæc illis oppignoravit. Agebant tum res  
30 *Velferorum* in aula Hispaniæ *Ambrosius Alfingerus*, *Hieronymus Sayerus*, & *Georgius Evigerus*. Quorum quidem *Alfingerus*, assumpto sibi Legato *Bartholomæo Sayero*, rebusque omnibus rite præparatis, atque quadringentis militibus & octuaginta equis in naves impositis, soluit ex Hispania anno c1o 1o xxix. Et quum hic feliciter appulisset, *Ioannem de Ampues* statim submovit, tribus tantummodo insulis *Curacao*, *Bonaire* & *Aruba*, quæ haud longe hinc Continenti objacent, illi relictis. Deinde barbaris qui Lacum *Maracaybo* accolunt; quem Hispani tunc vocabant *de Nostra Sennora*, ad obsequium cogendis nonnulla opera impensa, omnes conatus suos convertit ad auri aut argenti venas indagandas: & quum illud ex voto minus succederet, tum demum aliquot expeditiones in Mediterraneas provin-  
40 cias suscepit, in quibus ita fuit versatus, ut summam, quaqua transibat, agris inferret vastitatem, & barbaris indigenis magnas clades incuteret & vicissim ab illis pateretur.

Instituerat iter suum per *Cupiaren*, & per longa terrarum spatia penetravit usque ad vallem *Eupari*, de qua supra diximus; licet illa extra limites diplomate *Velferis* præscriptos sita esset, & haud dubio ad præfecturam *Sanctæ Martha* pertineret.

Idem *Alfingerus* alteram expeditionem suscepit anno c1o 1o xxx, & iter suum instituit ad barbaros, qui *Pocabuyes* appellabantur, & plurimum auri credebantur possidere quod cum vicinis suis permutabant; ab his transiit ad aliam barbarorum nationem qui *Alcoholadi* vocabantur, & auro ad eundem modum abundabant: Horum  
50 ager solo erat haud infæcundo, ipsique pro captu barbarorum, ingenio haud inurbano; ita ut in ipsorum provincia pedem figere, & municipium aliquod moliri, si rebus suis rite consulisset, omnino tempestivum fuisset; potuisset enim tum quam facillime inde in Novum Regnum quod postea Granatense fuit dictum penetrare, & Dominorum suorum res egregie stabilire: verum id susque deque habens processit inde ad flumen Grande, atque ita deinceps ad *Tamalemequen*, omnes regiones miserum in modum pervastans usque ad *Lebrixam*: à qua divertens subiit montanam & frigidam regionem, quam ab infinitis  
barbaris

barbaris invenit cultam, à quibus cum insigni clade fuit repulsus, & vulnere hic accepto remeavit ad *Corianam*, & ibidem decessit è vulnere anno à Christo nato c1o 1o xxxii.

Huic deinceps successor à *Velferis* fuit missus *Ioannes Allemannus*, qui nullas expeditiones in provincias suscepit, sed brevi è vita excessit.

In illius locum itidem fuit suffectus *Georgius de Espira* cum legato suo *Nicolao Federmanno* vel *Vredemanno* anno à Christo nato c1o 1o xxxv. Hic cum trecentis peditibus & centum equitibus, movit è *Coriana*, mense Maio, versus Austrum iter agens, & vestigiis *Alfingeri* insistens, Legato suo, ubi ante coloniam collocasset juxta promontorium *de la Vela*, cum reliquis copiis sequi jussit. Legatum interim sibi sumserat *Franciscum de Velasco* Hispanum, qui quum jam pene ducenas leucas processissent, milites, quod Hispanis familiare est quum peregrinis parent, ad seditionem tentavit permovere, verum dux molitiones illius mature animadvertens, illum munere suo movit, & ibidem destituit, nullo alio supplicio irrogato.

*Federmannus* autem illum secutus, & vasta terrarum spacia emensus, penetravit in vallem *Tucuyo*, angustam & undiquaque montibus cinctam in qua hybernavit; & interea quoque adiit provinciam *Bariquizemeto*, ita dictam ab amne qui illam permeat.

Hybernis in *Tucuyo* absolutis, & pro Præfecto hic constituto *Francisco Vanega*, hinc promovit *Federmannus*, mense Decembri, & magnis itineribus, per asperos montes & densas sylvas, atq; impenetrabilia loca tandem penetravit in *Novum Regnum Granatense*.

Dum hæc in America in diversis partibus à Germanis hisce geruntur, *Espira* præfectura sua movetur, & *Federmannus* in illius locum substituitur: verum quum plurimæ quoq; querelæ contra hunc fuissent institutæ, denuo fuit amotus, & *Espira* in pristinum locum & gratiam restitutus. Is anno c1o 1o xxxvi ii *Corum* revertens, expeditionis suæ penetriennalis hanc reddidit rationem, quam ad Regem Hispaniarum destinavit: se ad quingentas pene leucas cum copiis penetrasse in Mediterranea, & pervenisse ad fines barbarorum, qui *Choques* nominantur; licet autem tantum viginti quinque leucis abesset, uti opinabatur, à loco quem hæctenus investigaverat; reverti tamen fuisse coactum, ut necessaria militibus compararet. Obiit autem paulo post, nulla alia re memorabili gesta.

Dum *Velferi* cunctantur alium præfectum mittere, manum admovit huic negotio *Conventus Juridicus Insulæ Hispaniolæ*, qui in oppido *S. Dominici* residebat, variosq; huc destinavit Subpræfectos, quorum quidam obierunt, quidam ob provinciam male administratam fuga se subriperunt: Anno denique c1o 1o xlv missus ab eodem *Conventu Ioannes de Carvajal J. U.* Licentiatus, homo nefarius, qui improbissime & scelestissime hic se gessit; & quum oppidanis magnum numerum armentorum per vim ademisset, movit cum exercitu suo ex oppido *Coro*, & montana regione ad dexteram relicta, incessit per planiciem, pervenitque ad provinciam *Tucuyo*: quam tum frequentes barbari incolebant, quos appellabant *Cuibas*, linguis inter se discrepantes & maximam partem humanis carnibus vesci assueti.

Quum autem *Carvajal* enormibus sceleribus nullum poneret modum, & graves querelæ quotidie ad aures *Conventus Juridici* acciderent, missus iudex, qui in vitam illius & acta inquireret, & causa cognita pro merito illum puniret. Verum hic hominem ita jam potentem invenit & militibus, quibus nihil non indulserat, adeo gratum & charum, ut contra hiscere minime auderet: Ille vero scelera sceleribus accumulans, *Philippum de Vten* propræfectum, & legatum illius *Bartholomeum Velferum*, cathenis oneratos *Corum* pertraxit, & ibidem extremo affecit supplicio.

Missus deinde *Ioannes Peresius de Tolosa J. U.* itidem Licentiatus, qui applicuit ad *Corum* anno c1o 1o xlvi, & aggregatis septuaginta militibus, quos commodum in oppido offenderat, movit adversus *Carvajalem*, ut illum pro meritis castigaret. Instituit autem iter suum per montana, ut *Carvajali* aditum ad Regnum novum Granatense ad quod fugere dicebatur, hoc pacto intercluderet. Et planiciem, quam vocant *de Carora* emensus, milites aliquot illius obvios habuit, quos nullo negotio sibi adjunxit; & quum ex hisce didicisset, illum relicto *Tucuyo*, jam *Quibora* agere, quinque à *Tucuyo* leucis; magnis itineribus illo contendit, & hominem inopinantem

tem atque imparatum oppressit, & catenis oneratum ad *Tuchy* provinciam retraxit, & ibidem supplicio afficiendum curavit.

Anno denique 1611, Nigritæ quorum jam ante magnus numerus ex Africa hic fuerat traductus, tumultuari cœperunt, sed Hispanis molitionum illorum gnaris, facile fuerunt oppressi, & mares omnes ad internecionem cæsi.

Quæ porro in hac præfectura anno 1611 fuerunt gesta, commodius in descriptione oppidi *Segovix* dicentur.

## C A P. X.

## De Metropoli hujus Præfecturæ Coro, ut vocant.

**P**RINCIPALIS hujus præfecturæ urbs vulgo appellatur *Coro*, à barbaris quoque *Corana*: & ab Hispanis non raro communi totius provinciæ nomine *Venezuela*.

Sita autem est, uti communis est opinio, ad altitudinem undecim graduum ab Æquatore versus Arctum. In regione quidem probe temperata, sed potabilium aquarum & maxime fontium indigentiori, nec ullis annibus rigua. Condita est in planicie, licet ager illius maximam partem sit montosus. Cœlo fruitur admodum salubri, ita ut medicis hic vix sit opus, nec aliis Medicamentis, quam herbis, plantis, aliisque simplicibus, quæ tellus hic liberalissimè sponte profundit. Animalia tam terrestria quam volatilia hic eadem reperiuntur quæ in reliqua America Meridionali; Leones autem ita imbelles & timidi, ut fustibus à barbaris facillime conficiantur: Tigres contra hic tanta pollent ferocia & truculentia, ut facile aliarum partium feras longissime superent.

Ager hujus urbis perfœcundus audit; Sacchari enim cannæ luxuriant hic supra modum: Gingiberis radices læte proveniunt: mellis & picis hic habetur copia: neque maligne triticum tolerat tellus; incolæ tamen magis delectantur *Mayzio*, cujus polinem cum succo cannarum sacchari miscent, & coquunt placentas, optimi saporis, & quæ haud secus quam panes biscocti durant in longum tempus. Conficiunt & potum ex eodem *Mayzio*, & potatis radicibus, adeo generosum, ut barbaros facillime inebriet. Oppidum hoc duos habet portus, unum quidem versus Occidentem, una circiter leuca ab ipso oppido, ad sinum quendam pone Promontorium *S. Romani*, ut vocant; ubi & mare minus fluctuosum est & haud supra tres orgyas altum: alterum autem ad arctoam plagam & duabus leucis cum semisse ab oppido, ubi æquor longe altius est & valde æstuosum. Hic quoque insulæ *Curacao*, *Bonayre* & *Aruba*, quatuordecim leucarum intervallo (ut *Herrera* testatur) Continenti Americæ Meridionalis prætenduntur: infida hîc navibus statio est & adversus incerta ventorum minime munita; atque adeo Aquilonibus, qui hic jugiter & interdum valide perflant, exposita; distant ab hoc portu circiter una leucâ optimæ Salinæ.

Ab oppido autem *Coro*, Continens sese in altum producit, duodecim leucarum spacio, facitque quodammodo peninsulam, quæ à barbaris appellatur *Paragoana*, extrinsecum vero illius cornu vocatur à navigantibus Promontorium *S. Romani*: completitur hæc peninsula ambitu suo circiter viginti quinque leucas, maximam partem in planiciem strata, & ferarum maxima copia scatens; sed laborat fere aquarum penuria, neque ab ullo rigatur amne. Indigenæ barbari placido sunt atque miti admodum ingenio.

Præfectus universæ provinciæ, ut plurimum habitat in hoc oppido, quemadmodum & Episcopus, qui suffraganeus est Archiepiscopi *S. Dominici* in Insula Hispaniola. Denique hæc urbs ab Anglis anno 1625, inopinato intercepta, fere tota in cineres fuit redacta.

Haud procul ab hoc oppido secus viam quæ ad Montana hujus provinciæ ducit, jacet planicies illa, quam vulgo vocant Hispani *los Lanos de Carora*, patens in longitudinem quidem sedecim milliaria, in latitudinem autem sex: fecunda, atque annonata, omnibusque rebus ad vitam humanam necessariis egregie abundans; imprimis autem *Mayzio* atque ferina.

Ab oppido *Coro*, ad provinciam *Bariquezimeto*, iter est per montana, quæ barbaro nomine vocant *Xizabaras*, quæ haud longe ab oppido initium sumunt; suntque non tam montes quam editi & convexi campi, sylvestres & inculti, atque hic aut illic in modicos colles erecti; habitantur autem à barbaris populis, qui vocantur *Axaguæ*; ferox est natio & humanis carnibus vesci suera; quæque hactenus ab Hispanis nequivit penitus perdomari.

## CAP. XI.

*Alia oppida hujus præfecturæ, Nostra Sennora de Carvalleda, S. Iago de Leon, Nova Valentia & Xeres.* 10

**S**ECUNDUM oppidum hujus Præfecturæ, appellatur ab Hispanis, *Nostra Sennora de Caravaleda*, situm in provincia populorum quos appellant *Caracas*; conditum haud longe à littore Maris septentrionalis. Distat à Metropoli *Coro* circiter octuaginta leucis, ut Hispani produnt, versus ortum solis: portum quidem habet, sed incommodum & navigantibus infidum.

In regione autem illius, ad oram ipsam Maris, arcem extruxerunt Hispani, quam vulgo vocant *Caracas*. Continens hinc ad ipsam oram attollitur in altissima montium juga, ita ut à fastigiato Insulæ *Teneriffæ*, unius *Canariarum*, vertice quem vulgo vocant *Picum*, parum differant altitudine; sub ora vero, æquor admodum est æstuosum & valde fluctuans, ita ut difficillimum sit lembis aut scaphis ad illam appellere & exscensionem facere, præterquam juxta ipsam Arcem, in perexiguo sinu sive æstuario. 20

Tertium hujus præfecturæ oppidum vocatur *S. Iago de Leon*, id est, oppidum *S. Jacobi* Legionensis, in eadem *Caracarum* provincia situm, quinque aut septem leucis ab ora maris, & septem supra septuaginta leucis à Metropoli *Coro* versus ortum: tribus autem quatuorve à *Nostra Sennora de Carvalleda*, versus meridiem, secundum *Herreram*: Præfectus universæ provinciæ hic interdum Domicilium fortitur. Hoc oppidum anno 1595 inopinato captum fuit ab Anglis, atque direptum, quum paulo antè Arcem *Caracas* interceptissent. Duæ autem viæ dicuntur ab ora maris ad hoc oppidum ducere: una quidem facilis & satis expedita, sed quæ nullo negotio ab incolis obstrui & defendi potest; quia medio pene itinere ab arduis montibus & saltibus inviis, utrimque illi imminentibus ita arctetur, ut vix viginti quinque pedes in latitudinem pateat. Altera vero perdifficilis est asperaque, per montes & præcipitia, hac tamen barbari ut plurimum utuntur. Montibus enim illis superatis, descenditur in regionem campestram, in qua ipsum oppidum constructum cernitur. 30

Quartum hujus Præfecturæ oppidum vocatur *Nova Valentia*, distans quidem ab oppido *S. Jacobi* Legionensis quinque & viginti leucis, à portu autem *Burburatæ*, ut vocant, septem: à Metropoli denique *Coro*, secundum *Herreram* sexaginta. In quo tamen suspicor illum falli, & iterum rationem evidenter indicare, supra quadraginta & quinque leucas vix esse posse. 40

Quintum hujus Præfecturæ oppidum vocatur *Nova Xerez*; distans à *Nova Valentia* quidem quindecim leucis, pene versus Meridiem: à *Nova Segovia* vero una, & viginti leucis, à Metropoli denique *Coro* sexaginta fere versus Eurum. Nuper admodum ab Hispanis videtur conditum, neque enim valde antiqua illius est memoria apud Historicos Hispanos.

## CAP. XII.

*Vrbs Nova Segovia, & regionum vicinarum situs & cæli solique qualitates.* 50

**A**NTE QUAM ad oppidum hoc describendum accedam, operæ pretium fuerit hic commemorare, quod ante promiseram, quæ in hisce partibus à Germanis fuerunt gesta.



*Ioannes de Villegas*, *Velferorum* nomine, hujus provinciæ præfectus anno cIo Io Lii è provincia *Tucuyo* cum exercitu movens, primum detexit certas auri venas, ad radices editissimorum montium, qui uno & pene continuo jugo hanc provinciam pervagantur, (appellant hodie montes *S. Petri*,) juxta ripas fluminis, quod à barbaris quidem vocatur *Buria*, ab Hispanis autem ad eundem modum *S. Petri*, quia festo illius primum ab ipsis fuit aditum. Et hac tam optata opportunitate illæctus deduxit huc coloniam; quæ quum ob coeli inclementiam & loci insalubritatem paulo post fuisset deserta, traducti fuerunt coloni ad ripas fluminis *Bariquicemeti*, & urbs dicta fuit *Nova Segovia*.

10 Fluvius porro hic nomen meruit ab aquarum suarum colore, commotæ enim lurido & cinereo colore dilabuntur.

Aëris temperies hujusce provinciæ pene eadem est, quæ vicinarum: æstatem quippe patitur iisdem mensibus, quibus Hispania hyemem: in planicie quidem gravis toleratur æstus; à montium vero jugis, quibus hæc regio instar vallorum utrimque concluditur, perflant subfrigidæ auræ, quæ æstum egregie temperant, & magnum mortalibus adferunt solatium.

Plures hic incolunt barbarorum nationes, linguis ut plurimum discrepantes.

Frugum atque annonæ hic summa est parcitas: Indigenæque fere à caule cuiusdam plantæ, quam ipsi vocant *Cocuy*, quæque carduis Hispaniensibus admodum videtur similis, educunt quendam liquorem, Syrupo non ab similem, quo vulgo utuntur: *Mayzii* enim habent perparum; sed speciem quandam cucurbitarum, quas Hispani vocant *Calebasses*. Cervorum tamen & cuniculorum Americanorum maxima hic est copia. Trans montes autem illos versus Austrum, maxima *Mayzii* reperitur copia, uti & *Yucæ* & similium radicum, quæ in hisce regionibus pro farre usurpantur, quia solum ibidem humidius est. Fluvii quoque *Hacarigua*, *Boraute* & plures amniculi atque torrentes qui passim hanc regionem secant, pluribus piscibus facti sunt, & longe optimis; quos indigenæ, radice quadam, (quam vocant *Barbasco*) prius contusa & in undas projecta ita inebriant vel potius infatuant, ut manibus se capi patiantur; astu etiam alibi barbaris familiari.

30 Ferarum quoque ingens hic numerus, cervorum puta, aprorum, damarum, & cuniculorum, quos æstivis potissimum mensibus, incenso gratiæ, quod tum in campis passim exarescit, è latibus suis eductos, sagittis suis conficiunt. Nec desunt hic ferocia & noxia animalia, Tigres, varii angues & imprimis majores Serpentes, quos barbari vocant *Bobas*.

Denique ad ripas fluminum, in concavitatibus arborum & juxta radices, deprehendunt multæ apes, quæ ibidem mellificant.

Porro omnes hi fluvii, & plures alii, qui ex Australi horum montium latere profluunt, dicuntur per longa terrarum spatia & pene centum leucarum decursu, prope rare ad maximum flumen *Viapari* aut *Huriapari*, id est, *Orenoquen*, & in illius patentissimum alveum se condere.

Montana autem regio, quæ ab oppido *Segovia* ad sinistram jacet, & à populis incolitur, qui *Chica* appellantur, auri metallis abundare creditur, è quibus opulenta gaza educi posset si servitiis abundarent.

Hæc provincia olim frequentissima fuit, sed nunc maxima indigenarum pars morbis, aliisque incommodis, maxime autem propriis vitiis, ut Hispani credi volunt, pene interdidit: Ingenio enim sunt bardo & admodum vili, atque pusillanimes, multis vitiis dediti, præsertim ebrietati, & rixis atque mutuis cædibus, quum nimium potu incaluerunt; desides & sine ulla in crastinum cura, tanquam in diem vivunt, & uno interdum die helluant, quod in longum tempus poterat sufficere: quare annona 50 ipsis deficiente, agrestibus radicibus & herbis misere vitam tolerant, donec *Mayzium* in novam messem succrescat; quod hic in quibusdam locis quadraginta diebus, in aliis tribus mensibus perfici tradunt.

Haud longe ab oppido *Segovia*, labitur torrens quidam sive amniculus, quem Hispani appellant *Rio Claro*, ab aquarum puritate, qui haud procul ab origine sua rursus à tellure absorbetur: hybernis mensibus admodum tenuis, æstivis autem quum minus consentaneum videtur exuberans, ita ut incolæ sicca illa tempestate campos suos &

fata aquis illius rigent, & largam Mayzii messem hujus potissimum beneficio nanciscantur.

Armenta, pecudes, sues, nec non jumenta, hic magnum capiunt incrementum; plerique enim incolæ hic exercent pecuariam, atque ex eo potissimum faciunt quæstum; dum omnis generis animalia ad Novum Regnum Granatense venalia exportant. Barbari autem jam gossypinos pannos texere didicerunt.

Denique oppidum *Nova Segovia*, in hac, quam jam descripsimus, provincia situm, distat quidem à *Nova Xereç* versus Meridiem leucis viginti; à *Tucuyo* decem: à Metropoli *Coro* versus Eurum octuaginta. Iter autem à *Tucuyo* ad hanc urbem agitur per vallem duodecim leucas longam. 10

## C A P. XIII.

*Cætera hujus Præfecturæ oppida, Tucuyo, Truxillo: Laguna, & provinciarum quæ hisce adjacent qualitates.*

**S**EPTIMUM hujus præfecturæ oppidum, vulgo dicitur *Tucuyo*, à vallis nomine in qua conditum cernitur. Vallis autem hæc inter Austrum atque Arctum protenditur; patetque tam in longitudinem quam latitudinem circiter dimidiam leucam: undiquaque montibus conclusa: secat pene mediam annis ejusdem nominis. Commendatur autem ab insigni cœli clementia, & aëris salubritate; nec minus ab omni generis annonæ abundantia, & variorum fructuum copia, ita ut nihil hic neque Hispanis neque barbaris desit ad necessarium victum aut voluptatem. 20

Oppidum autem distat ab Oceano Septentrionali leucis quinquaginta ab oppido *S. Jacobi Legionensi*, septuaginta: à *Nova Segovia* undecim: à *Portillo* ut vocat *de Carora*, quatuordecim: à *Truxillo* viginti quinque: à Metropoli *Coro* denique quinque supra octuaginta; ut *Herrera* annotavit.

Sacchari cannæ in hoc agro felicissime succrescunt, ita ut jam aliquot machinæ iis comminuendis structæ hic conspiciantur. Præterea plurimum gossypii hic colligitur, è quo indigenæ barbari jam telas texere, iisque se amicire cœperunt; frumentum quoque aliaque fruges exoticas, plantas, olera que admodum benigne tolerat tellus, & feliciter absolvit. 30

In campis & sylvis vagatur immensa ferarum copia, maxime cervorum, ita ut oppidani, qui venationi gnaviter incumbunt, sæpe bimestri spacio quingentos & supra cepisse memorentur: in nonnullis autem Bezoar repertum volunt. Nec desiderantur hic noxia & infesta hominibus animalia, tigres, leones & similes feræ.

Licet autem hic auri venas tellure occultari indubium putent, tamen operarum inopia hæcenas eas minime scrutantur: sed oppidani armentis & pecoribus pascendis, itemque equis alendis potissimum impendunt operam. 40

Indigenæ hujus regionis, sunt è gente *Cuibarum*, ut vocant, qui tamen linguis haud parum inter se discrepant: bellicosa natio & pugnandi avidissima; pugnant arcibus & sagittis, clavis itidem & saxis: & maximam partem humanis carnibus vesci consuevere. Quidam illorum ab Hispanis jam domiti, mansuetius & urbanus agunt: & ipsis tributum pendunt, Mayzium (non enim alias divitias hæcenas noverrunt) ad oppidum comportantes. 50

Ab oppido hoc ad Novum Regnum Granatense, numerantur leucæ centum & quinquaginta; quarum quidem centenæ ducunt per planiciem amœnam & omnium fructuum perfœcundam; ad hæc variis amnis & rivulis intersectam, qui & potari pulchri, & piscibus pluribus foeti esse dicuntur: denique ferarum venationibus peropportuna: reliquæ autem quinquaginta leucæ paulo difficiliiori itinere absolvuntur, per editos & asperos montes atque saltus valde impeditos. 50

Truxillo.  
lo.  
Cuicas.

Octavum hujus Præfecturæ oppidum vocant *Truxillo* vel etiam *Nostram Senno-ram de la Paz*, conditum in provincia barbarorum quos dicunt *Cuicas*; distans à Metro- 60

Metropoli *Coro* fere leucis octuaginta recta versus meridiem: ab oppido autem *Tucayo* viginti & quinque versus occidentem: denique à magno Lacu *Maracaybo* octodecim: ad cuius ripam affidet pagus huic oppido subjectus, ad quem oppidani merces suas, farinam, panes biscoctos, carnes suillas, aliaque solent deducere; quæ ibidem imponuntur in naves, & opulento atque peropportuno commercio vectantur ad varias provincias hujus Continentis Americae Meridionalis, semel quidem mense Maio, iterum vero Novembri.

Cæterum aliud præterea municipium in hac Præfectura incolitur ab Hispanis, quod appellant *Lagunam*, quia adfidet oræ occidentali Lacus *Maracaybo*, circiter quadraginta leucis à Metropoli *Coro*, ad interiorē ejusdem Lacus sinum sive recessum, & crebris vadorum brevibus navigantibus insidiosum; unde non nisi minoribus navigiis ad hoc aditus pateat: Ager huic municipio vicinus, licet campestris sit, tamen fere vastus & incultus jacet. Cæterum magna hic est cervorum, cuniculorum aliarumque ferarum copia; avium quoque, maxime palumbum atque perdicum: mellis quoque summa abundantia. Verumtamen tantus est hic tigrum numerus & hominibus adeo infestarum, ut non reformident noctu municipium ingredi, & barbaros juxta atque Hispanos dilacerare.

## C A P. XIV.

*Magni Lacus Maracaybo descriptio, itemque Maracapanæ ad extremos hujus Præfecturæ limites versus ortum.*

**M**AGNUS Lacus *Maracaybo*, cujus jam supra aliquoties meminimus, vocatur etiam ab Hispanis *Lago de Nostra Sennora*; perrumpit autem inde ab Oceano in Continentem quadraginta leucis, vel ut *Herrera* alibi testatur viginti quinque, variant enim auctores; patet in latitudinem ut plurimum decem leucas; circumgyratque circiter octuaginta; licet quidam ambitum illius longe minorem faciunt: *Æstuarium* illius patet circiter dimidiam leucam; quo veluti ostio, fluctus maris admittit atque remittit, æstu ordinato; unde illius fluctus, licet plurimos amniculos & torrentes accipiat à variis plagis, subamari deprehenduntur: nihilo secius alii varios pisces & imprimis grandes *Manatos*.

In intimum hujus Lacus gremium, intrat fluvius, è *Novo Regno Granatensi* descendens, cujus beneficio commercia inter hanc Præfecturam & dictum regnum percommode exercentur. Indigenarum nonnulli qui ripas illius Lacus accolunt tuguria sua hodieque struunt, in cacuminibus arborum, inter ipsas undas, aut ad ipsam ripam; Vnde quidam præfecturam hanc nomen *Venezuelæ* accepisse opinantur, uti jam supra diximus.

In ambitu hujus lacus, aut haud longe ab illius ripis, incolunt variae nationes barbarorum: inter quos primo loco nominantur *Pocabuyes*, qui plurimum auri possedisse dicuntur: deinde *Alcoholadi*, auri non minus divites: urbana & mitis natio, quæ fecundos agros possidet & abundat omnis generis annona.

Inter montanam autem regionem & hunc Lacum, jacet provincia *Xuruara* plana atque campestris: montanam vero regionem, incolunt *Coromochi* ferox natio & valde bellicosa. Ad intimum Lacus recessum, quem Hispani vulgo vocant *Culatam*, alii degunt barbari, quos appellant *Bobures*, quorum provincia ob telluris uditatem & crebras uligines, insalubrior habetur, & supra modum infestatur à Mosquitis.

Denique à *Xuruara* ad Metropolim *Coro*, pene octuaginta leucarum spatio plures degunt barbari; rudi ingenio, & rerum omnium pene inopes, quos Hispani nondum debellarunt. Atque hætenus de hoc Lacu.

*Maracapanæ* claudit pene limites hujus præfecturæ versus orientem: portus, qui inter optimos hujus oræ, facile primus censetur. Inter montes autem qui ab hoc portu, alibi duabus, alibi sex, nonnullibi & decem leucis divergunt, habitant barbari, quos vocant *Chuigotos*, unius quidem linguæ, sed haud

fatis

fatis inter se concordēs, bellicosa natio, & humanis carnibus vesci ſueta, & Hispanis neque obſequens neque propitia.

Incolæ *Cubagæ* hic olim modicum habuerunt municipium, alueruntque in eo præſidarios quamplures, in ſpeciem quidem, ut hanc provinciam adverſus hoſtes defenderent, revera autem, ut miſeros barbaros abriperent in ſervitutem, & alio traderent: quo factum eſt, ut provinciæ hæ hodie perpaucos indigenas, & raros pro amplitudine incolas numerent.

A *Maracapana* ad provinciam *Bariquicemeti*, vaſta planicies ſternitur, venationi quidem & piſcationi admodum opportuna, pene centum leucarum longitudine, verum tota regio, qua ab Hispanis, qua à Germanis, ſuperiori ſeculo ita eſt depopulata, ut jam plures Tigres quam homines nutriat, & vix iter hac agi poſſit.

## C A P. XV.

*Deſcriptio Inſularum quæ huic præfecturæ objacent, Inſulæ Blanca, Tortuga, Orchilla, Rocca, Avium.*

**I**NTER Inſulas quæ huic Continenti Americæ Meridionalis hic objacent, primo ſeſe offert quæ ab Hispanis & aliis nationibus appellatur *Iſla Blanca*: ea diſtat ab Æquatore verſus Arctum duodecim gradibus; aut ſecundum alios, undecim gradibus & quadraginta octo ſcrupulis; ab inſula *Granada* verſus favonium paulum declinando verſus Auſtrum, leucis circiter quadraginta: à *Margarita* itidem verſus favonium, ſed declinando paulum verſus Arctum leucis ſedecim. Continet in ambitu circiter ſex milliaria: præcipua illius ſtatio ſita eſt ad Occidentale illius latus, in ſinu arenoso. Pauciſſimi in hac inſula viſuntur montes. Ad latus illius Occidentale, paucæ admodum naſcuntur arbores, præter raros lucos qui fere constant ex arboribus *Gujacan*: verum latus Orientale univerſum ſilvoſum eſt, ſub arboribus autem viſuntur multi frutices, è ſalviæ ſylveſtris claſſe, qui fragrantem odorem de ſe fundunt. Solum omne partim eſt ſcopuloſum, partim aridum, ex ſucce, atque adeo effatum, culturæ omnis impatiens; nam nullæ hic reperiuntur ſcaturigines, aut dulces latices, præter aquas pluvias, quæ in certis ſtagnis colliguntur. In ſylvis quoque ſuccreſcunt plantæ, acutiſſimis aculeis aſperæ, qui carnem ita penetrant ut ægerrime poſſint evelli: campi autem atque planicies gramine quodam veſtiuntur, quod ad gœna uſque aſcendit. Pauciſſima reperiuntur hic animalia, præter hircos & capras, quæ maximum ceperunt incrementum, ita ut aliquot millia hic vagentur. Inculta eſt inſula, neque ab ullis barbaris, Hispaniſve habitata; qui illam tantummodo adire ſolent, ut hircos & capras venentur: neque à noſtris aut aliis gentibus, niſi ob eandem cauſam aditur, vel etiam interdum propter Salinas; licet illæ ſatis incommodo loco ſitæ ſint.

**Tortuga.** Sequitur deinceps *Tortuga* inſula, quæ diſtat ab Æquatore verſus Arctum, undecim gradibus & duodecim ſcrupulis, ab Occidentali Angulo *Margaritæ* verſus favonium duodecim aut quatuordecim milliariibus; ab Inſula *Blanca* quindecim aut ſedecim milliariibus verſus Africum: Ita ut ii, qui ſub hac inſula in anchoris conſiſtunt, non modo Inſulam *Margaritam* ſed & Continentem Americæ ſudo cœlo poſſint conſpicere. Patet in longitudinem quidem inter ortum & occaſum tria quatuorve milliaria, in latitudinem autem ſeſquimilliare. Latus illius Orientale, ut & maxima pars, ſolo eſt petroſo, effæto & nudo; petræ illæ ſunt aſperæ, poroſæ atque hiantes, ita ut difficillime veſtigia hic figantur, ſecus littus nonnulli luci viſuntur; ora autem ipſa uliginosa eſt & crebris ſtagnis impedita, quæ ſcatent innumeris cancris nullius frugis atque inutilibus. Occidentale vero latus, pene uſque ad Inſulæ umbelicum, denſo nemore veſtitur, in quo excellunt arbores *Gujacan*; ad oram vero maris frequenti fruticeto pene eſt invium. Hæc inſula nihil memorabile ſortita eſt, præter modicam Salinam, quæ jacet pone cornū illius, quod Eurum adſpicit; in qua menſibus Septembris, Octobris & Novembris tantum ſalis reperitur, quantum tribus quatuorve navibus onerandis ſufficit: verum ſtatio haud admodum navibus eſt opportuna. Alit quoque hæc inſula plurimas capras præſertim ad plagam Occidentalem; quæ tamen difficil-

difficillimè capiuntur: & infinitas *Yguanas*, ad Orientale latus, quæ ob telluris sterilitatem valde sunt rancidæ: præter illas quæ in sylvis deprehenduntur, quæ sunt obefiores: universum autem latus illius Australe ita vadis & rupibus est contaminatum, ut sub illo naves sine discrimine anchoras figere non possint. Unicam habet stationem satis opportunam pone Aquilonare cornu, quod angusto tramite veluti collo in altum prominet: ubi & naves, quum opus est, subduci & purgari possunt.

*Tortugam* excipit *Orchilla*, ut vocant Hispani, distans ab illa versus *Corum* circiter quindecim milliariis: ab Insula autem *Blanca* pene novemdecim; aut paulo paucioribus, ut aliis placuisse video. In latitudine hujus tradenda variant  
 10 inter se Naucleri: alii enim testantur illam distare ab *Æquatore* versus *Arctum* undecim gradibus & quindecim scrupulis; alii triginta scrupulis; nonnulli & quinquaginta: sed triginta magis ad veram altitudinem puto accedere. Constat hæc insula pluribus partibus; una quidem majore, pene semilunari forma, & aliquot minoribus quæ tantum vadoso freto à majori dirimuntur. Major maximam partem humili est solo; ad Orientalem & Occidentalem tantummodo Angulum visuntur rari montes, in quibus capræ potissimum vagantur. Latus ejus Meridionale & quod Africum prospectat, alto mari alluitur, & oræ illius sunt præruptæ, ita ut quam proxime etiam majoribus navibus liceat accedere: qua Africum aspicit raræ visuntur arbores, & paucae herbæ præter petroselinon marinum: verum ad  
 20 Orientale & Septentrionale latus frequentiores nascuntur arbores: cæterum universa tellus salsa est & plantis nutriendis inidonea: nulli in universa insula reperiuntur fontes, aut latices potabiles; ipsæque arbores quæ hic nascuntur sunt aridæ & informes: quare & raræ hic reperiuntur volucres: & ex animalium classe tantum lacertorum quædam species. Ad *Arctum* habet minores illas insulas, & terras æquori æquales, & non raro dilutas.

Succedit deinceps *Rocca*, distans ab *Orchilla* circiter sex milliariis, versus Occi- Rocca.  
 dentem paulum declinando versus Africum; ab *Æquatore* versus *Arctum* duodecim gradibus & quatuor scrupulis, uti à nostratibus fuit observatum. Non tam insula, quam plures scopuli & minores insulæ longa serie projectæ, multis arboribus  
 30 passim vestitæ: patent in longitudinem quidem inter ortum & occasum quinque milliariis, in latitudinem vero pene tribus: Continens *Americæ Meridionalis* facillime ab hisce insulis videri potest. Ad *Arctum* jacet exigua insula, in qua altus mons sese attollit, qui ob candorem procul ex alto videri potest. Meridionale latus præceps est, & mare ita altum, ut fundum illius bolide frustra tentent navigantes: Occidentale vero vadofiori mari alluitur, hic æstivis mensibus nonnihil salis reperitur. Nulla alit animantia; atque adeo rarissimas volucres; præter quam unarum speciem, quas alibi ab Hispanis diximus appellari *Flamencos*, longis tibiis instar ciconiarum, plumis rubicundis & elegantibus, longo & recurvo rostro. Solum universum petroselinon est, & æquori pene æquale.

40 Insula *Avium*, ut vocant, itidem è pluribus minutis insulis composita est; quarum Orientalior maxima est, forma triquetra, æquori pene æqualis, & multis arboribus vestita, licet tellus sit petrosa, distat ab Insula *Rocca* versus favonium paulum declinando versus *Arctum* circiter decem milliariis: ab *Æquatore* versus *Arctum* duodecim gradibus, uti à nonnullis inveni observatum. Huic adjacent octo aut novem insulæ minores, spacio unius milliariis, vadoso æquore interluente, quæ nihil habent memorabile, uti nec major. I. de Aves.

## C A P. XVI.

50 *Descriptio Insularum Bonaire, Curacao, atque Arubæ.*

**B**onaire insula distat ab Insula *Avium* versus *Corum* sex aut octo mill. ab *Æquatore* versus *Arctum* duodecim grad. atque aliquot scrupulis; satis ampla est & creditur circiter sedecim aut septendecim mill. in ambitu capere: oræ illius, ut plurimum præruptæ sunt, licet solum modice sit editum secus littus, ita ut ad latus quod *Corum* adspicit, ubi opportunissima statio habetur, naves funibus ad arbores alligare

alligare, aut anchoras in littore figere necesse fit: objacet ab hac parte minor insula: plurima hîc reperiuntur armenta, etiam pecudes atque capræ; nec non fues & equi; quæ univèrsa hic ab Hispanis fuerunt collocata, & in immensum aucta. Incolæ maximam partem sunt barbari, ex Insula Hispaniola ab Hispanis huc traducti, & à multis annis Christianis Sacris initiati; pauci admodum Hispani cum suo præfecto; qui in valle quadam inter montana hujus insulæ incolunt: Cæterum hujus insulæ solum haud admodum fertile est frugum; sed nutrit innumeras arbores, quarum materies rubra est, & pro tinctura usurpatur; quæ trunco sunt scabro & contorto, pene admodum vitium, sed admodum solidæ & gravis materiæ, cortice cinereo, qui ad nihil utile censetur: Nostrates à forma vocant *Stock-vish-hout*: maxima copia jam ab aliquot annis Europæ cœpit inferri à variis nationibus, præsertim nostratibus, ita ut præ nimia copia jam vilescere cæperit, & hic non tanta copia reperiatur, aut tam facile devehî possit.

Minor insula distat à priori exiguo admodum intervallo, & ipsa ripis valdè præruptis, & æquore in ambitu valde alto, ita ut sub ipsa insula, ad sexaginta orgyas altum deprehendatur, ambit circiter tria milliaria, patens in longitudinem pene duo. Solum parte sui maxima petrosum est, cætera nitrosum vel falsum, unde difficillime admodum potabiles aquæ in ea reperiuntur. Nihil memorabile sortita est nisi similes arbores; & Guayacan & paucas arbusculas quæ gossypium ferunt.

Curacao. *Curacao* insula distat à *Bonaire* versus Favonium paulum declinando versus Corum circiter novem milliariibus, ita ut sudo cœlo à *Bonaire* eminus conspici interdum possit; ab Æquatore versus Arctum duodecim gradibus & quadraginta scrupulis, uti à nonnullis invenio observatum. Ambit novem aut decem milliaria, inter Corum atque Eurum in longitudinem projecta. Solum illius multo fœcundius dicitur quam *Bonaires*, unde plures incolas habet, qui pecuariam exercent, & quotannis multos caseos premunt, quos ad Continentem venum traducunt. Nascuntur hic quoque arbores illæ, quas in *Bonaire* notavimus, verum non tanta copia. Sinum habet patentem ad latus quod Aquilonem despicit, sed statio majoribus navibus valde importuna est ob præruptas insulæ ripas. Nondum inveni à nostratibus fuisse aditam, aut ab aliis nationibus præter Hispanos.

Aruba. *Aruba* insula distat ab insula *Curacao* versus Corum pene, circiter novem milliariibus, ut à nostratibus inveni accurate satis observatum: expansa est inter Corum atque Eurum tria milliaria: stationem habet ad latus quod Corum adspicit, pone insulæ Angulum; juxta minorem insulam quæ hic illi objacet, in fundo arenoso quinque orgyas alto & anchoris figendis peridoneo: reliqua insulæ latera præruptas habent ripas & æquore admodum alto alluuntur. Ipsa insula humili magnam partem est solo, quod alicubi in montes erigitur; quorum unus sacchari conum æmulatur: ambitus est circiter quinque milliarium; Incolitur à paucis Americanis & paucissimis Hispanis: abest denique à Promontorio *Sancti Romani* circiter octo milliariibus versus boream.

## C A P. XVI.

*Ora univèrsæ descriptio utriusque præfecturæ Cumanæ atque Venezuelæ.*

cap. v. **C***umana* sive *Comena* distat à Promontorio *Araya* sive famosis illis Salinis versus Austrum quatuor milliariibus; cætera superius explicavimus.

Moxina. A *Cumana* tendit ora primo versus boream; atque hic primum egrediuntur in Oceanum fluvius quem Hispani appellant *Rio de Canoas*, & mox fluvius de *Bordones*: & deinceps portus securissimus & undique adversus tempestates ventorum munitus, qui vulgo dicitur *Moxina*: & ulterius sinus ille quem supra diximus *S. Fidei* nomen servare: Hinc occurrit navigantibus scopulus quidem angusto, sed tamen alto & navigabili freto à Continente divisus, qui nostratibus dicitur *Borats*, quo superato aditus patet ad alterum sinum, qui vulgo appellatur *Commennagot*;

got; pulcherrimus hic est sinus, & navigantibus peropportunos, à *Maracapan* versus Occidentem, arenoso littore & fundo anchoris tenendis peridoneo; in Occidentalem sinus partem egreditur amniculus, è quo aqua commodissime peti potest: in ambitu hujus sinus & intra Continentem nascuntur plurimæ arbores, quarum materies tincturæ rubri & crocei coloris utilissima censetur.

A Statione *Commenagot* ad exiguas insulas quas vulgo vocant *Pirito* numerant quatuor milliaria, ita ut Occidentalis sinus illius Angulus, respondeat Orientali cornui harum Insularum.

10 Insulæ *Pirito* duæ sunt, circiter milliariis unius intervallo discretæ, distantes à Continente unum milliare; humiles solo & æquori pene æquales, nullisque mortalibus habitatæ; è regione harum egreditur è Continente amniculus cujus tamen aquæ falsæ deprehenduntur etiam tribus milliariis intra ostium: vocant *Rio de Ermacito*; accolitur à natione *Caribum*.

Porro è regione Anguli Occidentalis Insulæ *Pirito*, jacet ad Continentem sinus quem vocant *Oychier*, fundo anchoris figendis inidoneo.

Sequitur deinceps ad Continentem notabilis mons, quem Hispani appellant *El Morro de Correbicho*, è regione insulæ *Tortuga*, quam supra descripsi.

20 Et mox Promontorium *de la Cordeleira* vel *Caldera*, distans ab eadem *Tortuga* versus Africum circiter quindecim milliariis: id Promontorium solo est humili, ab eo tamen incipit sese ora sensim attollere, nam simul hanc superaveris versus occasum, prospicis eminens editissima illa montium juga, quæ vocantur vulgo *Carakas*: Continens hic alit plures arbores *Guajacan*. Distat autem Promontorium hoc, secundum *Figueredum*, ab Æquatore versus Arctum, decem gradibus, quibus alii adjiciunt aliquot scrupula.

Circiter quindecim milliariis ab hoc Promontorio versus Occidentem, jacet Arx *Carakas*, cujus supra meminimus; & circiter duobus milliariis ulterius Promontorium quod Hispanis dicitur *Blanco*, pone quod statio navibus haud incommoda est, & anchoræ tuto figi possunt in mari novemdecim orgyas alto.

30 Tredecim milliariis ab hoc Promontorio, occurrit *Turiame*, ubi amniculus potari pulcherrimus è Continente egreditur, & ora omnis arboribus vernat.

Duobus à *Turiame* milliariis, jacent insulæ *Burburata*: hic portus admodum securus est, & Salinæ è quibus salem Continentis incolæ solent petere. Burburata.

Sequitur deinceps sinus quem Hispani, nescio ob quam causam, vocant *Golfo Triste*; è regione habens Insulam *Bonayren*, de qua jam diximus: & mox Angulus terræ qui dicitur *Punta Seca*, aliaque ignobiliora loca, neque dum satis in itinerariis explicata, usque ad Promontorium *S. Romani*; distans secundum nostrorum observationes ab Æquatore versus Arctum gradibus duodecim & sex scrupulis; extremum est cornu peninsulæ illius quam supra diximus à barbaris appellari *Paragoanam*, quæ tota humilis est, & unicum tantum montem eminens ostentat, quem S. Romani.

40 vocant *S. Anna*.

Ab hoc Promontorio flectit sese ora versus Africum circiter septem aut octo milliariis, deinde subducit se recta versus Austrum, promovens se versus Corum, oppidum *Venezuela* primum; ubi in intimo sinu undas suas eructat Lacus *Maracaibo*: A cujus ostio ora revertitur versus Arctum.

Commodissimum tempus hic navigandi est à mense Maio ad Octobrem: nam à Novembri ad Aprilem valide perflant hic venti Aquilonares, & cient infestas navigantibus tempestates.

50 Claudit hoc fretum ad Occidentem Promontorium *Coquibocoa*, distans ab Æquatore versus Arctum secundum observationes Hispanorum gradibus duodecim; quod humile est & vado proreptans in altum; intra Continentem visuntur editi & fragrosi montes, quos Hispani vocant *Sierras de Azieyte*. Coquibocoa.

Huic Promontorio versus Orientem objacent Insulæ *Monges*, ad quas ii qui *Cartaginem* ad Continentem Americæ Meridionalis petunt, cursus suos solent dirigere: sunt autem tres quatuorve insulæ parvæ, quarum Australior edita est & multo volucrum fimo candicat; à qua versus boream altera jacet, edito monte & divaricato vertice instar sellæ equestris, conspicua; reliquæ potius petræ sunt quam insulæ. Monges.

Porro à *Coquibocoa* ad nobilissimum Promontorium *de la Vela*, numerat *Figuere-  
redus* leucas viginti & quinque; quo intervallo Continens admittit sinus aliquot ali-  
cujus nominis; & quidem primo illum quem vulgo vocant *Bahiam Hondam* qui paten-  
tissimus quidem est sed vadofior, quemadmodum & tellus quæ ambit pluribus re-  
cessibus divisa cernitur: accolitur à barbaris insigni macie & squalore, qui prorsus  
nudi incedunt, pudenda tamen sua cucurbitulis quibusdam tegunt, cæterum non  
multum differunt à belluis: deinde recipit Continens alterum sinum, quem vocant  
*El Portete*, quatuor leucis à dicto Promontorio *de la Vela* versus ortum; hic quoque  
vadofior censetur; licet quidam arbitrentur interius altiorem esse, & ostium illius  
tantum angustius esse.

Promontorium denique *de la Vela*, valde editum est ad mare, subsidetque sen-  
sim versus Continentem, ita ut ex alto allabentibus insula esse videatur: solum quod  
illi adjacet infœcundum est, & vix quicquam herbidi fortitur.

Atque ita cum bono Deo jam ambitum Americæ hujus Meridionalis absol-  
vimus & redjimus ad Præfecturam *Rio de la Hacha*, à qua superioribus libris digressi  
sumus intra Continentem & ad Provincias quæ Mari Australi adjacent; itaque finem  
imponemus huic descriptioni, donec plura & certiora è nostrorum aut aliorum ob-  
servationibus nacti fuerimus.

## INDEX

